

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Deus n cum uariis

Ponamus ante oculos que sit illa Dei natura que tenet omnia, implet omnia, complectitur omnia, superexcedit omnia, sustinet omnia. Nequaquam autem Deus ex una parte sustinet atque alia superexcedit, neque ex alia parte implet atque ex alia parte circumplectitur, sed circumplectendo implet, implendo circumplectitur, sustinendo superexcedit, superexcedendo sustinet; sine inquietudine superius regens, sine latitudine inferius sustinens; interius sine extenuacione penetrans, exterius sine extensione circumdans. Est itaque inferior et superior sine loco, est amplus sine latitudine, est subtilis sine extenuacione; et qui per molem corporis nusquam est, per incircumsriptam substantiam suam nusquam deest.

Gregorius super Ezechielem ibidem.

Varia in MANUSCRIPTIS (B C M) et in IMPRESSIS (P V¹ V² L¹ L²):

parte] Deus *add.* (*del. intra*) M; atque] ex *add.* P V¹ V² L¹ L²; circumplectitur] complectitur B; inquietudine] inequitudine P V¹ V²; penetrans] pentrans (*cor. supra lin.*) M; circumdans] circumstans V² L¹ L²; amplus] amplius V¹ V²; deest] est (*cor. intra*) B; Gregorius super Ezechielem *om.* P V¹ V² L¹ L²